

22

ORDINIS PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA VITEBERGENSI
DECANVS

1788 5

CAROLVS FERDINANDVS SCHMID

IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR MORAL. ET CIVILIVM
PROF. PVBL. ORDINARIVS

H. T.

COMES PALATINVS CAESAREVS
CONFERENDAE VTRIVSQUE LAVREAE
SOLEMNIA

A. D. XXX. APRILIS CIOIOCCCLXXXVIII
RITE PERAGENDA

PHILOSOPHIAE ET ARTIS POETICAE
CANDIDATIS

INDICIT
PRAEMISSA PROLVSIONE

DE
IVRISPRVDENTIA PHAEDRI

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII



ORDINIS PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA VITTIENSI
D E O A N S
CAROLVS FERDINANDVS SCHMID
HABENS VITTIENSI DOCTOR MORAL ET CIVILIS
HABENS VITTIENSI ORDINIS
E T
COMITIS PALATINI CAESAREVS
CONFERENDAE VITTIENSI LAUREAE
SOLEMNIA
A. D. XXX. APRILIS CIOCCXXXVII
HABERE FERENDAE
PHILOSOPHIAE ET ARTIS PRACTICAE
CANDIDATI
INSTITUTIO
FRANCISSA PROVISIONE
DE
VITTIENSI VITTIENSI THAEDRI
FRANCISSA
FRANCISSA CAROLI CHRISTIANI HUBERII





Quanta utilitas ex diligenti veterum Poetarum lectione hau-
riri possit a veteris Iurisprudentiae cultoribus, inter
alios commonstravit vir Iuris longe peritissimus, IOAN. SALO-
MO BRVNQVELL, ^{a)} vtpote ex cuius sententia leges ipsae ex-
plicationem a Poetis accipiunt, rationesque legum saepius a
Poetis desumendae sunt; Poetae naturam alicuius negotii haud
raro optime explicant, differentiasque, quae inter hocce et il-
lud negotium intercesserint, indicant; praeterea autem populi
sui ritus atque caeremonias plene perfecteque exponunt. Quae
quidem omnia si recte sese habeant, ii profecto IurisConsulti
magnopere collaudandi esse videntur, qui ex vno vel altero Ve-
terum Poetarum ea, quae iuris scientiae inserviunt, excerpere ac in
vnum quasi corpus colligere studuerunt. Huius rei, praeter

A 2

alios,

^{a)} Hagoges in Vniuers. Iurisprud. P. General. Cap. III. in eiusdem Opu-
sculis, quae Halae prodierunt 1774. p. 1082 et sqq.



alios, periculum fecere CHRISTIANVS GVILIELMVS RÜSTNER, qui Chrestomathiam edidit ENNIANAM, ^{b)} qua ENNI, vetustissimi Poetae, loci Ius Romanum illustrantes continentur, et IOAN. GEORG. ESTOR, qui Jurisprudentiam Q. HORATII FLACCI ^{c)} composuit. Immo etiam Jurisprudentiam Poeticam CAROLVS FERDINANDVS HOMMEL ^{d)} ex omnibus paene veteribus Poetis colligere apud se constituerat, vti ipse profitetur, sed magnitudine operis territus abiecit Vir Doctissimus propositum suum versus Ius Ciuile illustrantes, secundum Ordinem Pandectarum, certis titulis includendi atque illos potissimum, quos grammatici ob Iuris imperitiam non satis intellexerint, melius explicandi. Clarissimorum horum virorum auctoritas me PHAEDRVM, notissimum illum fabellarum inanumque naeniarum scriptorem, inter ipsos Iustitiae sacerdotes antiquos ponere non erubescens satis, vti spero, tuebitur contra eos, qui PANTILIVM imitari cicumque more alios mordere gestientes, quidquid forensibus minus probatur hominibus, tamquam plane inutile exhibilando ignorantiae desidiaequae suae patrocinari solent. Nihilo tamen minus iocularia PHAEDRI carmina, quae negotiosis istis viris fastidium excitant, CONRADVM RITTERSHVSIVM, virum eruditione Iurisque scientia valde

^{b)} Lipsiae 1762. ^{c)} LAVRENTII ANDREAE HAMBERGERI Opusculis Ienae et Lipsiae 1740. ab ESTORE editis praefationis loco praemiss.

^{d)} CAROLI FERDINANDI HOMMEL Literatura Iuris ex Editione secunda, Lipsiae, 1779. 8. pag. 293.

❧ ❧ ❧

valde conspicuum, elegantia sua atque venustate ita delectauerunt, ut eruditissimis commentariis ea explicare summo studio adlaboraret. Huic fabularum auctori cur tam splendidum locum assignandum esse putem, plura mihi sunt argumenta. Narrat enim in fabulis ex intimo Iuris prudentiae fonte hausta; singulis poematum suorum locis Ius vario modo illustrat; ad verba Iuris Consultorum atque ad ritus fori solemnes denique saepius adludit. Quaecunque autem PHAEDRI Iurisprudentiae in medium proferenda mihi erunt exempla, secundum Institutionum IUSTINIANI Imperatoris ordinem, quantum fieri potest, digeram, quo melius argutiae illae cum ipso Iure Civili comparari queant atque coniungi.

§. I.

Ad Titulum de Libertinis.

Posteaquam, inquit IUSTINIANVS^{e)} iure gentium servitus inuasit, sequutum est beneficium manumissionis. Et quum vno naturali nomine homines adpellarentur, iure gentium tria genera esse coeperunt: liberi, et his contrarium servi, et tertium genus libertini, qui desierant esse servi. Solemnis servos manumittendi modus erat manumissio per vindictam, de qua singularis existat in Pandectis titulus.^{f)} Dominus, qui per vindictam servum suum a servitute liberari volebat, servo antea in gyram acto alapam infligebat. Ad hanc manumissionis sole-

A 3

mnita-

^{e)} Institut. de Libertinis. ^{f)} Lib. XL. tit. 2.



mnitatem respicit PHAEDRVS^{g)} narrans, Caesarem TIBERIVM, quum atrienſis come officium iactiſſet, ita eſſe iocatum: Non multum egifti, multo maioris alapae mecum venent.

§. II.

Ad Titulum de Lege Fuſia Caninia ſublata.

Familiae adpellatione, cuius originem FESTVS^{h)} tribuit Oſcis, apud quos ſeruum *famel* nominatum eſſe refert, omnes ſerui in Interdicto *Vnde Vi*, VLPIANO teſteⁱ⁾ comprehendebantur. Quare etiam IVSTINIANVS^{k)} per totam familiam, cuius manumittendae facultatem, lege Fuſia Caninia ſublata, moribus dominis reſtituit, coetum omnium ſeruorum in cuiusdam domini poteſtate conſtitutorum intelligit. Eodem ſenſu Familiae vocabulum PHAEDRVS accepit, apud quem mox dominus conuocata familiam^{l)} ceruum, quem inter boues conſpiciatus erat, occidere iubet; mox familia cani fruſta iactat; ^{m)} mox familia, id eſt ſerui, concurrant; ⁿ⁾ mox litterarum quidam ſtudio deditus naufragum SIMONIDEM veſte, numis, familia, ^{o)} quam CONR. RITTERSHVSIVS per vnum vel alterum ſeruum explicat ei adiunctum, exornat. Sicuti autem VLPIANO^{p)} in

Inter-

g) L. II. Fab. V. v. 25. h) ſub voce *famuli*. i) D. de Verbor. S. I. 195. §. 5. k) Inſtitut. de lege Fuſia Caninia ſublata. l) L. II. Fab. VIII. v. 26. m) L. III. Fab. VII. v. 22. n) L. III. Fab. X. v. 24. o) L. IV. Fab. XXI. v. 23. p) D. de Vi et de Vi armata l. I. §. 17.



Interdicto, unde tu illum vi deiecisti, aut familia tua deiecit, etiam si vnus seruus vi deiecerit, familia videtur deiecisse, quamvis ipse ^{g)} vnicum seruum familiae adpellatione contineri, vna cum M. TVLLIO CICERONE ^{h)} ex cuius sententia in vno seruulo familiae nomen non valet, iterum neget; ita etiam AESOPVS dicitur a PHAEDRO solus fuisse familia domino suo.)

§. III.

Ad Titulum: Quibus modis tutela finitur.

Pubertatem, ceu tutelae finem, in masculis post quartum decimum annum completum illico initium accipere, disposuit IVSTINIANVS, in foeminis autem post duodecimum annum completum; ⁱ⁾ circa hanc rem adsentiens PRISCO, cuius sententia, vt conicit GODOFREDVS MASCOV, ^{h)} vsu olim iam probata fuerat, puberem eum esse statuendi, in quo vtrumque concurrat et habitus corporis, et numerus, qui Proculianis placebat in pubertate definienda, quatuordecim annorum. ⁱ⁾ Antea vero, quam IVSTINIANVS Sabinianorum atque Proculianorum controversiam, vtrum ex corporis habitu, an ex certo annorum numero aestimari deberet pubertas, deciderat; ⁱⁱ⁾ nihil impediabat, quo minus pubertatis terminum vario modo consti-

g) D. de Verbor. S. I. 40. §. 3. h) Pro A. Caecina cap. XIX.

i) L. III. Fab. XIX. v. 1. ii) Institut. Quib. mod. tutel. finit. Pr.

iii) De factis Sabinianor. et Proculianor. Cap. IX. §. 2. iv) VLPIANVS Tit. IX. §. 28. v) Institut. citat. loc. Cod. Quando Tutores et Curatores esse def. l. 3.

constituere atque, si apud Romanos olim tempus pubertatis togae virilis sumendae legitimum fuisse, non est quod dubitemus, *) praetextam cum toga virili commutare mox XIV. mox XV. vel XVI. anno liceret. Ex his colligere fas est, filium illum, cui PHAEDRVS patrem togam puram iam parasse, refert, minime fuisse puberem, sed pubertati proximum; caeterum autem, propter incertum pubertatis ipsius terminum, non satis constare de anno, quem ille agebat, ubi pater togam ei sumendam esse decreuerat.

§. IV.

Ad Titulum de Rerum Divisione.

Religiosa habebantur sepulchra, seu ex VLPIANI *) interpretatione loca, ubi corpus ossaue hominis condita sunt, vel secundum PAVLI sententiam **) loca, ubi corpus humanum perpetuae sepulturae est traditum, aut, si in diuersis locis sepultum sit, ubi, quod est principale, conditum est, id est, caput. *) Quam ob causam sepulchra a IurisConsultis res dicebantur commercio hominum exentae **) atque religiosae, *) id est, ab omni violatione munitae, utpote quae dedicatae erant Diis Manibus, vnde solemnis in monumentis formula: *Dis Manibus Sacrum.* **) Ob eandem rationem IVSTINIANVS res religio-

x) Cf. Illustr. I. L. E. PÜTTMANN Probabil. Iur. Civil. L. II. Cap. VI.
y) D. de Religiosis l. 2. §. 5. z) D. eod. l. 40. a) D. eod. l. 44.
b) D. eod. l. 12. §. 1. c) D. eod. l. 2. pr. et §. 5. d) Cf. I. GOTTL.
KEINKECCI Antiqu. Romanar. L. II. Tit. I. §. V.



giosas, loca nimirum, quae ob mortui illationem religione tenentur, diuini iuris esse contendit.^{e)} Varios inter sepulchrorum religionem violandi modos, quos apud IOANNEM KIRCHMANN^{f)} ex instituto enumeratos videre licet, erat spoliatio cadaueris, siue rerum cum mortuo conditarum ablatio e monumento. Posteaquam enim lex XII. Tabularum^{g)} aurum mortuo addi vetans exoleuerat, pecunia aureaque supellex, vel luxus, vel securitatis causa deponeretur in monumentis, vti ex variis veterum scriptorum locis colligendum est.^{h)} Ii autem, qui pecuniae aliisque rebus pretiosis inhiantes sepulchra effodiebant, ita, vt cineribus fieret iniuria, aut ossa extraherentur, religionem sepulchri violare putabantur. Talis violator sepulchri existat apud PHAEDRUMⁱ⁾ canis, cui humana effodienti ossa tantam diuitiarum cupiditatem Dii Manes, quos violarat, iniecerunt, vt aurum custodiendo oblitus cibi fame consumeretur. Poena, quam canem dedisse religioni sepulchri testatur PHAEDRVS, fere eadem est, quam humilioribus violatorum sepulchrorum reis olim inflictam fuisse PAVLVS^{k)} memorat. Rei sepulchrorum violatorum, ille inquit, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humiliores quidem fortunae summo supplicio adfici-

e) Institut. De rerum diuisione §. 7 et 9. f) De Funeribus Romanorum. L. III. Cap. XXII—XXVI.

g) Lex XV. Tab. X. apud IOAN. NICOL. PVNCCIVM. h) Cf. TERENTIUS in Prol. Eunuchi v. 13. PLAVTVS in Pseudol. Act. I. Sc. 4. v. 19. 20.

i) L. I. Fab. XXVII. v. 3 et seq.

k) D. de sepulchro violato, l. 11.



adficiuntur, honestiores in insulam deportantur: alias autem relegantur aut in metallum damnantur. Et si iam PHAEDRI temporibus haec poena in humiles Deorum Manium violatores praestituta fuisset, similitudo, quae homines humilioris conditionis inter atque canem istum triuio conceptum et educatum stercore intercedit, satis nobis esset argumenti, cur non amplius dubitarem de ratione, quae Poetam commouerit, ut canem deligeret, cui sepulchri partes daret violandi.

§. V.

Ad Titulum de Seruitutibus Praediorum.

Aedificia, IAVOLENVS inquit ¹⁾ quae seruitutem patiuntur, ne quid altius tollatur, *viridia* supra eam altitudinem habere possunt: at si de prospectu est, eaque obstatura sunt, non possunt. Vnde adparet Romanorum consuetudo supra aedes *viridia* habendi, cui restringendae censebatur peridonea esse seruitus, ne prospectui offenderetur. *Viridia* impenlis adnumerat PAVLVVS, ^{m)} quae speciem dumtaxat ornant, non etiam fructum augent, ideoque voluptuariarum dicuntur. Et si *viridiorum* ⁿ⁾ idem significat, ac *viridiariorum* vocabulum, quo vitur VLPIANVS: ^{o)} facile est intellectu non solum, quomodo *viridia* impenfarum loco haberi possint, sed etiam, quid *viridiorum* ad-

pella-

¹⁾ D. de seruitutib. Praedior. Urbanor. l. 12. ^{m)} D. de Verbor. S. l. 79. §. 2. ⁿ⁾ *Viridia*, quum ipsam loci viriditatem significare volumus, *viridiorum* dicimus, MACROB. L. I. Saturnal. C. IV. ^{o)} D. de Vsfactu l. 13. §. 4.



pellatione contineatur. VLPATANVS enim, quum praedium describere velit, quod voluptati inseruiat, viridiariorum meminit, quae per gestationes vel deambulationes arboribus infructuosis opacas atque amoenas explicare videtur, vti autumat IOANNES GOEDDEVS, ^{p)} qui tamen ipse, quum POMPONIVS ^{q)} hortos pensiles viridia dixerit, viridia seu viridiaria docet esse loca virentibus arboribus confita. Viridia igitur siue sint deambulationes arborum umbra amoenae spatiantibus, siue horti pensiles; Misenenis villae viridia, quae Caesarem TIBERIVM perambulasse commemorat PHAEDRVS, ^{r)} loca erant certe virentibus opacisque arboribus confita. Viridia autem cur a PHAEDRO lacta adpellentur, ratio potest facile perspici, si fonticulos illos huc adplicamus, quibus C. PLINIVS CAECILIVS SECVNDVS ^{s)} nunc illa viridia, nunc haec, interdum simul omnia iuvari scribit.

§. VI.

Ad Titulum de Haeredibus institutendis.

Institutio haeredis sub conditione, perplexitate verborum laborante, plane inutilis est, MARCIANO auctore, ^{t)} qui huiusmodi conditionem definiens per eam, quae existere non possit, exemplum addit, quo melius adpareat illius differentia reliquarumque conditionum exitu carentium, quia vel naturae, vel

B 2

legi,

^{p)} Commentar. in Titul. D. de Verbor. S. p. 639. ex edit. tertia.

^{q)} D. de Seruitut. l. 15. ^{r)} L. II. Fab. V. v. 14. ^{s)} L. V. Epist. VI. §. 40. ^{t)} D. de Conditionib. institution. l. 16.



legi, vel bonis moribus repugnant; formulam nempe institutionis aliquem sensum vix admittentis: *Si Seius haeres erit, Titius haeres esto; Sin Titius, Seius haeres esto.* Ita etiam CELSVS, *) vbi pugnancia inter se in testamento iuberentur, neutrum ratum esse docet. Quod itaque IurisConsultis visum est de haeredis institutione verbis contortis expressa ita, vt testatoris voluntas vlllo modo exinde erui non possit, idem comprobauit PHAEDRVS narratione, qua plus esse boni saepe in vno, quam in turba, posteris tradidit. v) Cuius quidem narrationis argumentum est hoc: Tres erant cuidam filiae; vna formosa oculisque captans adolescentes, altera lanifica, frugi et rustica, tertia vino dedita facieque turpissima. Pater decedens fecit matrem haereditatem sub ea conditione, vt omnia bona tribus distribueret filiabus aequali modo, sed tamen ita, ne bona possiderent, neque iisdem fruerentur; tum autem, simul atque res acceptas habere desissent, centena vt matri conferrent sestertia. Mater Iurisperitos consulebat; nemo autem eorum dicere poterat, quoniam modo filiae id, quod accepissent, non possiderent neque vllum fructum exinde caperent; multo minus, quam ratione eadem, quibus nihil reliquum esset, vnde soluerent, pecuniam contribuerent matri. Quum igitur IurisConsultorum opera sensum testamenti explorare non potuisset, mater haereditatem iam parabat diuidere ex bono et aequo, destinans moechae

*) D. de Regul. Iur. l. 188. pr. v) L. IV. Fab. IV.



chae vestium copiam, ornatum muliebrem atque supellectilem omnem balnearem; lanificae agros, pecora, villam omnemque supellectilem ad rem agrariam pertinentem; potrici collectionem cadorum veteris vini, domum omnibus rebus delectationem et magnificentiam aurentibus instructissimam vna cum hortulis amoenissimis. Quum autem singulis adsignatam haereditatis partem tradere vellet, populusque, cui mores filiarum satis erant cogniti, in hanc haereditatis diuisionem consentiret, AESOPVS subito adueniens, miratus, quod nemo voluntatem patris potuisset indagare; deinde rogatus soluebat errorem. Suadebat nempe, vt id daretur filiarum cuilibet, quod sit maxime alienum a moribus suis. Sic enim fieret, vt nulla earum retineret id, quod fuerit ei datum, ac, posteaquam vendidissent quod acceperint, ex pretio rerum dictam pecuniae summam matri conferrent. Irridebat forsitan hacce narratione Poeta insipientiam IurisConsultorum iuri stricto inhaerentium, qui praenimia Iuris Ciuilibus scientia saepius nihil videbant, vtpote quireliquis omnibus sagaciores ac acutiores sensum communem, quo AESOPVS praeditus testamentum, IurisConsultis interpretandi arte exercitatissimis inextricabile, ab omni difficultate atque verborum contradictione liberabat, omnino fere abiurabant. Quemadmodum autem ipsum huius narrationis argumentum desumptum est a re, qua IurisConsulti potissimum exercentur, quum testamentis condendis pariter atque explicandis quotidie adhiberi soleant; ita etiam plura vocabula in eadem narratione occurrunt,



runt, quae a IurisConsultis mutuatus est PHAEDRVS. Ita ab eo dicitur senex matrem fecisse haeredem sub hac conditione, vt totam haereditatem tribus filiabus distribueret, w) ipsa quasi formula IurisConsultorum solemnī, qua haeredes institutos vel instituendos esse tradunt. x) Neque minus loquutio; *data possidere*, qua Poeta vsus est, y) originem suam debet IurisConsultis, quibus *data* non videntur ea, quae eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt. z) Mundus muliebris PHAEDRO a) est adparatus earundem rerum, quae eo continentur ex IurisConsultorum sententia. Lauationi enim argenteae, quae secundum illum sola fere mundum muliebrem absoluit, subsunt procul dubiores ab VLPIANO enumeratae ceu res, quibus mundior redditur vxor, b) specula, matulae, vnguenta, vasa vnguentaria, et si qua similia dici possunt, veluti lauatio, riscus; siue, vt PAVLVS c) vna voce hasce res omnes comprehendit, omne argumentum balneare, id est, omnia instrumenta, quae mulieres in balneo emundandi corporis caussa adhibent. Neque etiam IurisConsultorum distinctio, qua separatur vestis a mundo muliebri ignota fuisse videtur PHAEDRO matrem moechae seposuisse narranti vestem mundumque muliebrem. d) Vestium seu vestimentorum adpellatione IurisConsulti complectebantur omnia

w) L. IV. Fab. IV. v. 7 et 8. x) Institut. de haeredibus instituend. §. IX. D. de Conditionib. Institution. l. 7. l. 8. y) Citat. Fab. v. 10.
z) D. de diuers. Regul. Iur. l. 167. pr. a) Citat. Fab. v. 21.
b) D. de auro, argento, mundo, l. 25. §. 10. c) D. eod. l. 32. §. 7.
d) Citat. Fabul. v. 21.

omnia, quibus corpus tegitur. ^{e)} Sed et ob aliam generalioreque significationem, qua *vestis* vocabulum accipiebant Iuris Consulti, CALLISTRATO teste, ^{f)} vix dubitari potest, quin hocce vocabulum adriserit PHAEDRO. Quum enim vestis adpellatio vestem tam muliebrem denotaret quam virilem, huic loco, ubi Poeta de vestimentis loquitur a patre relictis, nulla vox magis esse poterat idonea. Sed et *instrumentum rusticum* ^{g)} Iurisperitis debere PHAEDRVM, nemo facile inficiabitur, qui haud ignorat, Iuris Consultos Romanos instrumento fundi intellexisse ea, quae fructus quaerendi, cogendi, conseruandi gratia parata sunt, ^{h)} siue omnes res diutius mansuras, sine quibus possessio exerceri nequit. ⁱ⁾ Ex his vero, quae ad instrumentum fundi pertinent, adduxit PHAEDRVS pecora, operarios, boues, iumenta, ^{k)} quae quidem omnia fructus quaerendi causa parata esse dicuntur ab VLPIANO, ^{l)} cui huius generis sunt homines, qui agrum colunt, et, qui eos exercent, villici atque monitores, boues domiti, pecora stercorandi causa parata vasaque utilia culturae.

§. VII.

Ad Titulum de Pupillari Substitutione.

Haeredis institutioni proxima est in Iure Substitutio. Quare etiam, quid de hac commemorauerit PHAEDRVS, vt videamus, rerum

e) D. de auro, argento, mundo, l. 23. 24. 25. 26. f) D. de Verbor. Signif. l. 127. g) Citat. Fab. v. 24. h) D. de instructio vel instrumento legato l. 8. pr. i) D. eod. l. 12. pr. k) Citat. Fab. v. 23. 24. l) D. eod. l. 8. pr.



rerum ordo nos monet. Libertum patris illius, qui filio togam puram parabat, sperantem, fore, ut haeres sufficeretur proximus, multa mentitum fuisse coram patre in locum solitarium seducto, memoriae prodidit PHAEDRVS. ^{m)} Haeredem proximum nuncupari a PHAEDRO eum, qui alias a IurisConsultis et a Q. HORATIO FLACCO ⁿ⁾ adpellatur secundus, id est, substitutus, CONRADVS RITTERSHVSIVS iam adnotauit. ^{o)} Ita PAVLVS ^{p)} proximum haeredem non tantum adpellat eum, qui ratione consanguinitatis proximus est defuncto, sed etiam haeredem vltiore gradu, siue secundo, siue tertio, scriptum. IOANNES autem SCHEFFERS ^{q)} haeredem sufficere, idem esse, ac haeredem substituere censet. Ut *facere*, ait ille, sic et *sufficere* haeredes dicimur, quum alios aliis substituimus, quamuis magis vltate substitui dicantur. Si itaque verum est, PHAEDRVM hoc loco ad substitutionem adlusisse, ambiguum tamen videtur, vtrum vulgarem, an vero pupillarem intellexerit Poeta substitutionem. Ego quidem PHAEDRVM vtramque inuuisse persuasum mihi habeo, neque sine vllis argumentis, quibus, cur ita sentiam, commonstrare possim. CAIVS ^{r)} Vulgaris substitutio, inquit, dicitur: *Ille haeres mihi esto. Quod si haereditatem meam adire noluerit, s) illum substituo, ad quem haereditas mea debeat *perti-**

^{m)} L. III. Fab. X. v. 12 et 13. ⁿ⁾ L. II. Serm. V. v. 48. ^{o)} In notis ad PHAEDRVM. ^{p)} D. de Verb. S. l. 227. ^{q)} in notis ad PHAEDRVM. ^{r)} Institut. L. II. Tit. 4. §. 1 et 2. ^{s)} Vel potius: *Si haeres non erit*, quae formula, tam impotentiae, quam voluntatis casum completens.

pertineret. Pupillaris substitutio filiis tantummodo impuberibus dari potest, quae ita fit: *Ille filius, si intra pubertatem decefferit, illum ei substituo.* Liquet ergo ex utriusque substitutionis descriptione, pupillarem seiungendam esse a vulgari, ideoque fortasse aliquis dicet, fieri non potuisse, ut PHAEDRVS, nisi utramque propter iuris ignorantiam in unam quasi confuderit, utriusque substitutionis hoc loco iniecerit mentionem. Si vero rem diligentius perpendere haud recusamus, inuenimus, licet substitutionis vocabulo tamquam generaliori usus sit Poeta, exinde non necesse esse, ut colligamus, eum unam cum altera commiscuisse. Libertus iste mendax sperare poterat, se substitutum iri non solum sub hac conditione: si filius intra pubertatem decefferit, sed etiam: si filius patri haeres non existerit, quum maius certe caperet praemium pro mendaciis suis, si ipse non pupillariter modo substitueretur filio, cuius pubertate evanescente substitutio *) substitutusque omni priuari poterat haereditate; sed etiam si vulgariter sufficeretur, ita, ut ipse haeres esset, quando filius impediretur, quo minus haereditatem adiret. Huc vero adcedit, ut ante Impp. MARCI et VERI constitutionem, **) vi cuius pater, si impuberi filio in alterum casum substituisset, in utrumque casum substituisse intelligebatur, editam, olim apud

stans, vulgaris substitutionis est propria, Institut. de Substitutione Vulgari, Pr. et de Subst. pupillari Pr. THEOPHILVS in paraphrasi, Cod. de haereditibus instituend. l. 3. t) D. de pupillari substitutione l. 14.

u) D. de Vulgari et pupillari substit. l. 4. pr.

C



apud Romanos in usu esset mixtae, quae a MODESTINO duplex dicitur, v) substitutionis formula, qua sibi et liberis suis in utrumque casum deficientis haeredis prospicerent, ad hunc modum concepta: *Lucius Titius haeres esto; si Lucius haeres non erit, siue erit et intra pubertatem deceaserit, tunc Caius Seius haeres mihi esto.* w)

§. VIII.

Ad Titulum: Quibus modis re contrahitur obligatio.

Mutui dationem duo potissimum, quibus perficiatur, requirere, res scilicet fungibiles in suo genere functionem recipientes, quarum altera alterius vice recte fungitur; rei que fungibilis traditionem, sine qua nulla nasci credebatur mutui obligatio, ad veterum IurisConsultorum exemplum x) docet IUSTINIANVS. y) Erat praeterea mutuum, siue id, quod mutuo, id est, ea lege datum est, ut aliud eiusdem generis et quantitatis restitueretur, a foenore diuersum, NONIO MARCELLO z) auctore, qui mutuum dicit a foenore ita distare, quod *mutuum sine usuris, foenus cum usuris sumitur.* Quocum conuenit POMPONIVS, a) ex cuius sententia non est usura in fructu, quia non ex ipso corpore prouenit, sed alia ex causa, id est, ex noua obligatione, pacto scilicet bonae fidei contractui adie-

v) D. eod. l. i. §. i. w) D. eod. l. i. §. i. et Institut. de pupillari Substitutione Pr.
 x) D. de rebus creditis l. 2. §. 1 et 2. y) Institut. Quibus modis re contrahitur obligatio Pr.
 z) De Proprietate Sermonum Cap. V. 70. a) D. de Verbor. S. l. 121.

adiecto, vel in contractibus stricti iuris ex stipulatione. Con-
dictio, quae ex mutuo nascitur creditori contra debitorem ad
reddendam rem eiusdem qualitatis et quantitatis, est conditio
certi, siquidem hac petitur certum aliquid,^{b)} siue, vt cum PAV-
L. O^{c)} loquamur, id, cuius species vel quantitas, quae in obli-
gatione versatur, aut nomine suo, aut ea demonstratione, quae
nominis vice fungitur, qualis quantaque sit, ostenditur. Ca-
nis, quem PHAEDRVS fingit petiisse ab oue panem mutuo da-
tum,^{d)} illam IurisConsultorum doctrinam de mutuo haud igno-
rassè videtur; vtpote qui actionem instituens contra ouem, ceu
debitorem contendebat, id est, in iudicio adlegabat,^{e)} se com-
modasse illi certum aliquod, panem nimirum ipsi ab oue resti-
tuendum. Nomine ergo suo res a cane actore petita, qualis quan-
taque esset, ostendebat. Postulabat canis vnum panem, quem de-
disse oui simulabat, nihilque vsurarum praeter rem debitam ipsam,
quia nullae erant vsurae promissae per stipulationem mutuo ad-
iectam. Panis, quem ouis dicebatur debere, reddi poterat in
eodem genere ita, vt alius vice panis accepti fungeretur, ideo-
que quin res esset fungibilis, extra omnem fuit controuersiam.
Neque deficiebat quoque rei traditio, propterea quod canis pe-
tebat

C 2

tebat

b) D. de Reb. Cred. l. 9. pr. c) D. eod. l. 6. d) L. I. Fab. XVII.
v. 2. 3. e) Contendere pro adlegare in iudicio dixit ULPIANVS D. de
Rei Vindicat. l. 68. verbumque contendere in solis actionibus ciuilibus locum
habuisse obseruauit BARNAB. BRISSONIVS de Formul. et solemnibus P. R.
verbis L. V. LXXII.



tebat restitutionem panis, quem oui dedisset sub lege mutui. Ast fortasse quis mirabitur, quomodo mutuum ego possim videre, vbi actor non adserit, se rem mutuam dedisse, sed rem aliquam se commodasse adfirmat? Canis enim panem se *commodasse* contendit. ^{f)} CONRADVS RITTERSHVSIVS^{g)} commodare idem esse dicit, quod vtendum dare. Quis quaeso negabit, verbum commodare ita esse accipiendum, quum VLPIANVS^{h)} atque IVSTINIANVSⁱ⁾ eandem vim atque potestatem huic verbo tribuerint? Res autem ipsa loquitur, nisi cum MARQUARDO GVDDIO^{k)} vulgari lectioni *commendare*, quod est *deponere*,^{l)} substitutumus, canem non commodati, sed mutui instituisse actionem, quia panis rebus, quae non sunt fungibiles, vix potest adnumerari, verbumque *commodare* aliquando vsurpari pro mutuum dare, viri eruditi obseruarunt.^{m)} Si itaque certum est, canem illum vsu esse contra ouem actione ex mutuo, satis quoque liquet, quonam sensu lusus citatus testis dixerit deberi non vnum panem, sed decem. Quod idem erat, ac si dixisset, ouem esse debitorem cani obligatum. Debitorem MODESTINVSⁿ⁾ vult intelligi eum, a quo inuito aliquid exigi potest. Quae quidem appellatio quamuis generalior sit, ea tamen, quum pluri-

f) L. I. Fab. XVII. v. 3. g) in notis ad PHAEDRYM: h) D. Commodati, l. 1. i) Instir. quib. mod. re contr. obligatio. §. 2. k) in notis ad PHAEDRYM. l) D. deposit. vel contra l. 24 et 26. pr. D. de Verb. S. l. 186. m) Cf. BARNABAS BRISSONIVS de Verbor. Signific. sub verbo *commodare*. n) D. de Verbor. S. l. 108.

pluribus possit adplicari negotiis, nihil vetat, significari eum, qui mutuum nobis reddere tenetur. Soluisse denique ouem id, in cuius solutionem condemnata erat, Poeta prodidit. ^{o)} Perimebatur itaque obligatio, qua ouis secundum actoris intentionem ipsi erat obstricta, solutione, id est, debiti praestatione, siue, quum ex mutuo ageretur, redditione mutui. Quoniam vero res fungibiles mutuo datas solui dixit POMPONIVS, ^{p)} sequitur, PHAEDRVM ^{q)} non sine delectu scripsisse: *quod non debebat, soluit*. Decem nempe panes, quos non debebat, ouis restituit, quasi illos accepisset ea lege, vt, nisi sponte sua redderet, ad eorundem restitutionem posset impelli exactione.

§. IX.

Ad Titulum de Fideiussoribus.

Quum mutui dationi quam saepissime adcedat fideiussio, canem illum agentem ex mutuo subsequatur lupus, qui pro ceruo tritici ab oue modium petente, fidem suam interponere paratus fuit, PHAEDRO auctore. ^{r)} Fideiussor Romanis erat is, qui per adcessoriam stipulationem alieno nomine obligaretur. ^{s)} Omni obligationi adcedere potest fideiussor, vt VLPIANVS inquit. ^{t)} In omnibus enim obligationibus adsumi posse videntur IUSTINIANO ^{u)} fideiussores, ita, vt ne illud quidem intersit,

C 3

vtrum

- o) L. I. Fab. XVII. v. 6. 7. p) D. de Reb. Credit. I. 3. q) Fabul. cit. v. 7. r) L. I. Fab. XVI. v. 3. 4. s) D. de Obligationib. et Actio- nib. l. 1. §. 8. D. de Fideiussorib. l. 8. pr. c. 111 Institut. L. II. tit. IX. §. 2. t) D. de Fideiuss. l. 1. u) Institut. de Fideiussorib. §. 1.



vtrum ciuilis, an naturalis fit obligatio, cui adiciatur. Quam
 quidem ob causam prima nobis suboritur quaestio, cuius gene-
 ris fuerit obligatio, cui adfirmandae adhiberetur lupus. PHAE-
 DRVS ceruum refert rogasse ouem tritici modium. ^{v)} Verbum
rogare duplicem admittit interpretationem. Nam accipi pot-
 est ita, vt nihil aliud sit, quam petere. Petiit ceruus ab oue
 tritici modium et quidem, quia lupus in se recipiebat obli-
 gationem modium tritici, nisi ceruus restituisset, ipsius lo-
 co restituendi, ea lege, vt idem certo die restitueretur
 oui. Et si haec explicatio haud est reiicienda, naturalis
 videtur fuisse obligatio, quae, si promissione ouis contracta
 esset, lupi fideiussione maiorem acciperet firmitatem. Sed et
 alia ratione verbum *rogare* nihil obstat, quin explicemus. Sti-
 pulationem interrogatione praecedente eamque responsione sub-
 sequente Iure Romano celebrandam, alterutrumque stipulantium,
 qui interrogando stipulationis fecisset initium, interrogantem
 dictum fuisse, omnes sciunt. Quum tamen is, qui stipulatur,
 seu potius interrogat, etiam dicatur *rogare* pro interrogare; ^{w)}
 sequitur, fieri potuisse, PHAEDRVS vt verbo *rogare* voluerit signi-
 ficare interrogationem illam in stipulatione contrahenda solem-
 nem. Eodem sensu quoque vsus est verbo *rogare* M. ACCIUS
 PLAVTVS ^{x)} cuius ~~in~~ Pseudolus: *roga me* inquit *viginti minas*;
 ita fere, vti PHAEDRVS scripsit: *Ouem rogabat ceruus modium tri-*
tici.

^{v)} Fabul. citat. v. 3. ^{w)} D. de Pactis l. 7. §. 12. ^{x)} BACCHID.
 A& IV. Scen. VIII. v. 40. PSEVDOL. A& I. Sc. I. v. 12 et seq.

titi. Secundum hanc interpretationem ceruus interrogauerat
 solemai illa verborum conceptione: *Spondes? Dare spondes?*
 simulque lupum sistebat fideiussorem, quo magis ad responden-
 dum inuitaretur ouis. Si respondisset ouis se dare velle id, quod
 ceruus rogasset, tenebatur ex stipulatione de dando modio tri-
 tici, itemque contra eandem agi poterat ex stipulatu. Quibus
 quidem suppositis, stipulationem contrahere volebat ceruus;
 quoniam vero obligatio ex stipulatione proueniens Iure Roma-
 no erat ciuilib, ciuilem obligationem adiuuabat lupus fideiussor.
 Ast tamen mihi aliquis obiicit: Quid tu fideiussorem adpellas,
 quem PHAEDRVS *) dixit sponforem? Cui nihil habeo, quod
 regeram, praeter illam, quam CLAVDIVS SALMASIVS **) adtu-
 lit, distinctionem, in Digestis tamen, vti ipse obseruat, ne-
 glectam, vi cuius *fideiussores* erant ii, qui vltro sese offerebant
 pecuniamque sua fidei credi suoque periculo iubebant; *sponsores*
 e contrario ii, qui dabantur a debitore, cui quis nolebat crede-
 re. Ita ex ipsa sponforis adpellatione argumentari nobis fas ef-
 fet ad ouis intentionem, qua ceruo tritici modium credere nol-
 let, quippe quae intelligeret, ceruum fraudatoris agere perso-
 nam; verumque esse, quod Poeta monet, a) fraudatorem, qui
 mutuuum petit, dato fideiussore improbo, non id curare, vt
 negotium sit expeditum, vnde nullae exoriri possint lites, sed
 damnnum potius creditoris expetere.

§. X.

*) L. I. Fab. XVI. v. 4. **) De Modo Usurar. c. XVI. et IOAN. GOTTL.
 HEINECCI Antiquit. Rom. Iurisprud. illustr. Syntagm. L. III. tit. XXI. §. 4.
 a) L. I. Fab. XVI. v. 1 et 2.



Ad Titulum de Emptione Venditione.

Quemdam PHAEDRVS ^{b)} scribit pendere vidisse apud lanium inter reliquas merces atque obsonia simium, quem non mortuum, sed viuum fuisse vult IOANNES SCHEFFERVS. ^{c)} Rei nouitatem miratus restitit ille lanium interrogans, qualis esset sapor simii viui adhuc, cuiusque carne nemo vesceretur? Cui haec régerebat lanius iocans: *Quale caput est, talis praestatur sapor.* ^{d)} Vtrum lanius hacce responsione indicare voluerit, quod respiciendum esset ad ingenium emtoris, qui si cibis nouis caperetur, gustum simii se posse praestare suauissimum; an vero interrogantem facie deformem notauerit, quaerere hoc loco nostrum non est. Nobis enim sufficit, lanium dixisse, simii saporem talem praestari, quale ipsius esset caput. Adhibebatur olim a venditoribus verbum *praestare*, quando promittebant talem esse rem atque sic venturam ad emtorem, qualem esse dixissent; solemnemque, *rem praestare* ac *praestari*, fuisse loquutionem in emtione venditione, ex variis Iuris Romani locis adparet. Ita VLPIANVS ^{e)} tradit, actione emti venditi id potissimum agi, quod *praestari* conuenerit; animalium venditorem cauere debere, *ea sana praestari*; multumque interesse, venditor commendandi ferui quid dixerit, an vero *praestaturum* se promiserit, quod dixisset. ^{f)} Lanius ergo ad illam formulam venditorum

^{b)} L. III. Fab. IV. ^{c)} in notis ad PHAEDRVM. ^{d)} L. III. F. IV. v. 4. ^{e)} D. de Action. emti et venditi. l. 11. §. 1. ^{f)} D. Aedilitio Ed. Sto. l. 19. pr.



rum adludens significabat, se alium simii saporem non posse promittere emtori, quam eum, quem iam indicaret simii caput ipsum, ex quo facile posset ferri sententia de eius sapore. Carnem simiorum plane esse inspidam, rerum Naturae peritiores adfirmant. ^{g)} Quod si olim fuerit haud incognitum, quilibet, simium simul ac cognouisset ex capite, ipse iam poterat intelligere, simius cuiusnam esset saporis. Lanius ideo respondebat: Quale caput sit, vides tuis oculis, cur ex me vis audire id, quod caput simii satis iam monstrat? Ego quidem meliorem saporem nequeo praestare, quam cuius simius esse ab omnibus iudicatur. Ut autem illum interrogatione sua sibi molestum derideret, generaliore magisque ambigua ratione expressit sententiam suam: *Quale caput est, talis praestatur sapor.*

§. XI.

Ad Titulum de Locatione Conductione.

Locationem conductionem grus cum lupo, cuius faucibus os aliquod deuoratum haerebat, contraxisse videtur, secundum PHAEDRI narrationem. ^{h)} Lupus quum neminem praemiis posset adlicere, ut os, quo cruciabatur, extraheret; iureiurando incolumitatem perinde ac certam mercedem pollicitus, gruem denique commouit, ut crederet collum suum gulae lupi malumque auferret. Postulante deinde grue medicinae praemium, de quo

^{g)} *Neuer Schauplatz der Natur*, Tom. I. Lipsiae 1775. pag. 130.

^{h)} Lib. I. Fab. VIII.



quo inter vtrumque conuenerat, lupus inquit: caput quod abstuleris incolume ore meo, mercedis loco habeas, quid inde mercedem exigis? *Mercedis* vocabulum operae hominis vsusue rei pretium denotans, quod ex iure desumit et ad animalia transfudit Poeta,^{d)} obligationem supponit ex locationis conductionis contractu oriundam. Quoniam vero locatio conductio alia est rerum, alia operarum,^{e)} sequitur, gruem cum lupo iniisse operarum locationem conductionem, propterea quod illa promittendo in se receperat id, vt pro certa mercede medelam exhiberet lupo; operaeque in sanitate aegrotis restituenda ponendae, olim a seruis vel libertis edi solitae,^{f)} illiberales esse putabantur. Quare etiam mercedes medicis praestari dicuntur a CATO,^{g)} et a M. TVLLIO CICERONE^{h)} mercedem medico promitti vt iubeat, Tironi mandatur. Sed et eius locationis, quam operis conficiendi adpellauerunt Iuris Consulti Romani,ⁱ⁾ meminit PHAEDRVS referens, SIMONIDEM victoris cuiusdam pyctae laudem scribendam certo conduxisse pretio.^{j)} Pycta nempe, qui carmen certa mercede pangendum demandauerat poetae,^{k)} erat operis locator; SIMONIDES, qui pyctam carmine concelebrandum susceperat, conductor, seu

d) Fabul. citat. v. 12. k) Infitat. de Locat. et Conduct. §. 4. 5.

l) D. de Operis libertor. l. 25. §. 2 et 26. D. de bonis libertor. l. 14. §. 7.

m) D. de his qui effuder. et deiecer. l. 7. n) Epistolar. L. XVI. 14.

o) D. locat. conduct. l. 51. §. 1. p) L. IV. Fabul. XXIV. v. 5. 6.

q) *Quum do, vt facias, si tale sit factum, quod locari solet, puta vt tabulam pingas pecunia data, locatio erit, vti ait PAVLVVS, D. de praescript. verbis l. 5. §. 2.*

seu redemptor operis. Lex huius locationis fortasse fuit haec: ut *pyctae* laudes per totum carmen solae concinerentur; nisi probabilius sit, *pyctam* credidisse, hanc locationis legem ceu tacite adiectam per se iam intelligi, propterea quod *SIMONIDES*, quamvis existimaret sese opus, id est, carmen iuxta legem conductionis compositum, *pyctae* satis adprobauisse, ¹⁾ solam tamen tertiam mercedis accipiebat partem; pugil autem laudis gloriaeque amantissimus poetae reliquum poscenti respondebat: *Ledae filii*, quorum sunt duae carminis partes, reddent tibi id, quod postulas. ²⁾

§. XII.

Ad Titulum de Societate.

Quam parum fidei in fit socio potentiori, *PHAEDRVS* ¹⁾ leonis exemplo commonstrat cum imbecillioribus quibusdam animalibus consociati; ita, ut una cum illis feras bestias venaretur et quidquid captum esset, cum sociis aequis partibus divideret. At tamen placuit leoni legem, quam ipse dixerat contractui de venatione communicatis viribus operisque instituenta, deque lucro communicando, violare praedamque, quam omnes ceperant, totam sibi vindicare. ²⁾ Et ita abiit illa societas leonis perfidia in eam, in qua lucrum non fit in commune, sed sociorum unus omne interceptit lucrum, ac a reliquis sociis

D 2

omne

¹⁾ L. IV. Fab. XXIV. v. 12. 13. ²⁾ Conductoris erat, *opus adprobare*, D. Locat. Conduct. l. 51. §. 1. Locatoris vero, *opus probare* D. eod. l. 57.
¹⁾ L. I. Fab. V. ²⁾ Citat. Fab. v. 11.



omne suscipiendum est damnum. Cuiusmodi societatem *CASSIVM leoninam* adpellauisse, testatur *VLPIANVS*,^{v)} simulque ex eiusdem sententia docet, talem societatem, vbi alter lucrum sentit, alter vero nullum lucrum, sed damnum, nullam esse.

§. XIII.

Ad Titulum de Mandato.

Ranas, quibus alium regem tigilli loco petentibus hydrum miserat Iupiter, furtim, *PHÆDRVS* ^{w)} enarrat, mandata dedisse Mercurio ad Iouem, adflictis vt succurreret. Neque Mercurius despiciebat ranas supplices, negotium ipsum potius sibi demandatum gerendum suscipiens sine vlla mercedis promissione. Contractus ergo aderat ciuilis, quo obligabatur Mercurius, de faciendo aliquid gratuito, qui adpellatur *mandatum*. Quoniam vero, *GERARDO NOODTIO* ^{x)} coniciente, mandatum, quod ex officio et amicitia originem traxisse scribit *PAVILVS*,^{y)} obligatione actioneque destitutum olim fuit Romae, donec ritus iungendarum manuum vna cum fidei cultu exolesceret, mandatumque ipsum transiret in negotium ciuile; ranæ fortasse contractum mandati ciuilem plane ignorantes fidem amicitiamque Mercurii implorabant, supplicibusque Mercurius pro more Deorum adnuebat. Si igitur mandatum hoc loco pactum magis est, quam contractus ciuilis, adparet tamen ex ipsa *PHÆDRÆ* narratione, Mercurium consensisse in negotii demandati generatio-

v) D. pro Socio l. 29. §. 2. w) L. I. Fab. II. v. 27. 28. x) L. IV. Probabil. Iur. Ciuil. C. XII. y) D. Mandati vel contra l. 1. §. 4.

fionem, *) preces nempe ad Iouem perferendas et quidem gratuito. *) Consequitur exinde, non defuisse praecipua ac potiora, quibus perficeretur mandatum: consensum, negotium alienum eiusque gestionem gratuitam. Ast tamen quis quaerit, num Mercurio dici possit procurator a ranis constitutus, utpote qui vnus rei mandatum nunciumque quasi perferendum suscepisset. Ego ita respondeo. Sicuti VLPPIANVS eum quoque procuratorem esse censet, qui ad vnam rem datus fit, b) ita etiam Mercurio paullulum plus erat negotii, quam nuncius vel epistola perferenda, quum a ranis eligeretur, cui preces suas demandarent, quo magis ipsius facundia Iupiter impelleretur, ut ranas liberaret ab hydro. Et si hoc verum est, dicerem, PHAEDRVM subintellexisse procuratorem, ranas quam fingeret mandata dedisse Mercurio, c) ut precibus Iouem adiret nomine suo. Quod ad formulam pertinet loquendi: *mandata dedisse*, dominus mandans dicitur a IULIANO d) mandatum dedisse procuratoribus.

§. XIV.

Ad Titulum de Obligationibus, quae ex delictis nascuntur.

Conditione furtiua, quae apud Romanos olim obtinuit, domini restitutionem rei furtiuae petebant. *) Instituebatur

D 3

haec

*) In mandato contrahendo sufficere, eos, qui negotia gerunt, consentire, liquet ex Institut. de Obligationibus ex consensu, et ex l. I. D. mandat. vel contra. a) Mandatum nisi gratuitum nullum esse, dicit PAVVS D. Mand. vel cont. l. 1. §. 4. b) D. de Procuratorib. l. 1. §. 1. c) Vel vti nostri loquuntur: *sie hätten ihm zum Deputirten gemacht.* d) D. de Procuratoribus l. 47. e) D. de Condiç. furtiu. l. 1.



haec conditio contra furem, qui ipse furtum fecerat.^{f)} Eamdera conditionem instituit apud PHAEDRUM lupus vulpem furti crimine arguens.^{g)} Vulpis negabat, se aliquid surripuisse lupo, simius autem iudex ingenii scilicet, quo vti nam homines iudices semper polleant, acumine veritatem delicti eruens pronuntiabat, se credere vulpem furtum commisisse, vtpote quae de furto suspecta sit ob ipsam furti negationem; nihilo minus tamen sibi quoque videri lupum non perdidisse id, quod peteret.^{h)} Et ex hac subtilissima simii sententia litem penitus dirimente inferendum est, nisi fallor, lupum rem furto sibi ablatam petiisse, ideoque condicione furtiua expertum fuisse aduersus vulpem. Poeta tamen dixit, lupum non condixisse rem suam, sed arguisse vulpem furti crimine. Criminis vocabulum saepius denotare delictum publicum,ⁱ⁾ inter omnes constat. Nonne igitur propius ad veritatem adcedimus statuentes, lupum criminaliter egisse extra ordinem ad poenam siue satisfactionem reipublicae debitam? Lupus scilicet vulpem furti arguit, id est, delati criminis causas et argumenta dixit, quibus vulpem de crimine convinci posse putaret, secundum criminalium iudiciorum ordinem perantiquum, quo non solum reus erat deferendus, sed etiam arguendus antea, succedere quam poterat criminalis cognitio per viam accusationis.^{k)} Quis vero est, qui non intelligat, lupum

f) D. eod. l. 10. g) L. I. Fab. X. v. 4. h) Fab. citat. v. 9. 10.

i) D. de Aedilitio Edicto l. 17. §. 18. k) Cf. IOANNES GÖDDEVS ad leg. 197. D. de Verbor. S.

lupum ceu animal summae rapacitatis non potuisse intendere id, vt reipublicae satis fieret? Actionem furti potius contenderem, a lupo fuisse institutam, vt poenam persequeretur, duplum forsitan propter furtum nec manifestum. ^{o)} Quum enim *crimen*, BARNABA BRISSONIO ^{m)} obseruante, quibusdam in legibus vsurpatum sit pro criminatione et adcusatione, idem quin PHAEDRVS hoc vocabulo significauerit, vix dubito. Huc addegit distinctio, qua M. TVLLIVS CICERO ⁿ⁾ *maledicere* ab *adcu- sare* separauit ita, vt *adcusatio* crimen desideret, rem definiat, hominem notet, argumento probet, teste confirmet; *maledictio* autem nihil habeat propositi praeter contumeliam. PHAEDRVS itaque, ne quis crederet lupum maledixisse dumtaxat vulpeculae, pro simplici formula loquendi: *furti arguere*, compositum videntur potius adhibuisse: *arguere furti crimine*, id est, adcusatione, qua IurisConsulti aliquando intelligunt actionem. ^{o)}

§. XV.

Ad Titulum de Iniuriis.

Leo morbo confectus extremum quum traheret spiritum, venit aper ad eum et vindicauit ictu veterem iniuriam sibi illatam. Ita rem narrat PHAEDRVS. ^{p)} Quum *iniuriae* vocabulum
mox

^{d)} Institut. de Obligation. quae ex del. nasc. §. 5. L. XII. Tab. I. VIII. Tab. II. Sei Adorat Fourto, Quod nec manifestum escit, Duplione luito, apud IOAN- NIC. FVNCIVM p. 149. ^{m)} De Verbor. S. sub voce *crimen*. ⁿ⁾ Orat. pro M. Coelio Cap. III. ^{o)} Cf. BARNAB. BRISSONIVS de Verbor. S. sub voce *adcusatio*. ^{p)} L. I. Fab. XXI. v. 4. §. 6.



mox generaliore, mox specialiore accipiatur sensu, quam iniuria adfectus fuerit aper a leone, satis certe affirmari non posse videtur. Iniuria proprie ita dicta sumitur pro facto ad alterius contumeliam directo.^{q)} Cuiusmodi iniuria quoniam vel re admittitur iuxta *VLPIANVM*,^{r)} quotiens manus inferuntur; vel verbis, quotiens conuitium fit, ex poetarumque licentia, qua hominum mores imitantur animalia; realem vel verbalem iniuriam aper potuit vlscisci. Iniuria specialiter quoque dicitur damnum culpa datum et iniquitas.^{s)} Cuius quidem iniuriae leo erat fortasse reus, quia ius inique dixerat, vel alio quocunque modo contra ius iustitiamque egerat. Sed quid multa? Aper, cui ius suum aliquando non tribuerat leo, laesionis memor supplicium de ipso sumebat moribundo, ictu, vti Poeta inquit, vindicans veterem iniuriam. Quod ad verbum *vindicare* attinet, maritus dicitur ab *VLPIANO*^{t)} adulterium posse vindicare, id est, adculpatione persequi, sicuti praefectus vrbi delictum vindicare, id est, punire.^{u)} Non ergo persequabatur aper iniuriam adculpatione, sed poena, quam ipse quasi irrogans ipse quoque exsequabatur.

§. XVI.

Ad Titulum de Actionibus.

Ovis rogata a ceruo, tritici vt daret modium, cerui lupique sponsoris dolum metuens respondebat, *PHAEDRO* teste:
vbi

q) Institut. de Iniuriis §. 1. D. de Injur. l. 1. r) D. eod. l. 1. §. 1.
s) D. eod. l. 1. pr. t) D. ad legem Iul. de adulter. coerc. l. 13. §. 2.
u) D. de obsequiis Parent. et Patr. praestand. l. 1. §. 2.



vbi vos quam velocissime aufugientes requiram, quum dies ad-
venerit? v) Quid haec verba sibi velint, docet VLPPIANVS, w) qui
cedere diem, scribit, significare, pecuniam incipere deberi; *ve-
nire diem*, significare, eum diem venisse, quo pecunia peti pos-
sit. Quemadmodum enim necesse est, vt adsit obligatio, qua
ab aliquo praestari aliquid oporteat, antea, actio quam possit ex-
oriri; ita etiam facultas seu ius agendi in iudicio aduersus debi-
torem prius non potest locum habere, quam effluerit tempus
solutionis, debitorque nihil soluerit. Ouis itaque ad diem so-
lutionis respiciens praeuidebat, debitorem nihil soluturum, die
solutionis existente, nec etiam vlllo alio tempore copiam sui
daturum condicendi, ideoque debitorem actione persequendi
ius sibi competens nullum esse futurum. Verba, quibus cico-
nia vulpem coniuuam lagenae adpositae collum frustra lamben-
tem adloquuta esse legitur apud PHAEDRVM: x) *Quisque sua debet
exempla aequo animo pati*, adlusionem continere videntur ad Edi-
ctum Praetoris, vnde descendebat actio in factum, qua is, qui
ius nouum statuisset iniquum, eodem iure vti cogebatur. y) Quod
quidem Edictum summam habere acquitatem, VLPPIANVS cen-
set, z) siquidem vnusquisque pati debeat, vt idem ius sibi met ipsi
dicatur, quod ipse aliis dixisset, vel dici effecisset, secundum le-
gem Talionis, vi cuius eum, qui alios laesit, simili iure mul-
tandum

v) L. I. Fab. XVI. v. 7. w) D. de Verb. S. l. 213. x) L. I. F. XXVI.
v. 12. y) D. Quod quisque iuris in alt. stat. l. 1. §. 1. z) D. eod. l. 1. pr.



tandum esse, admonet PHAEDRVS.^{a)} Talionis mentionem fieri in duodecim,^{b)} ait VERRIVS, neque, id quid significet, indicat, puto quia notum est. Permittit enim lex parem vindictam.^{c)} Edictum Praetoris de Calumniatoribus dabat actionem in factum ei, cui nocitum fuerat calumnia, aduersus eum, qui pecuniam, vt negotium faceret, acceperat.^{d)} Canis ille panem, quem se commodasse contenderet, petens ab oue adpellatur *calumniator* a PHAEDRO,^{e)} paullo generaliore sensu, quam quo Praetor de Calumniatoribus edixerat. Canis enim calumniator ex PHAEDRI sententia magis est is, qui, PAVLO definiens^{f)} sciens prudensque per fraudem negotium alicui comparat; seu is, qui per fraudem, vti CAIVS inquit,^{g)} et per frustrationem alios vexat litibus. Calumniatores, qui dolo malo alicui innoxio crimen intendunt,^{h)} quosque, olim lege *Remmia* coercitos,ⁱ⁾ TIBERIVS adiuuabat, vtpote qui eorum opera utebatur ad perimendos quoscunque vellet, obiurgantur fabula de lupo et agno,^{k)} quam eos propter homines scriptam esse, qui fictis causis siue criminibus innocentes opprimunt, ingenue profitetur Poeta.^{l)} Quorum quidem calumniatorum TIBERIO amicissimorum princeps fuit SEIANVS, in cuius odium inciderat PHAEDRVS, ita, vt variis calumniis ab eodem vexaretur. Quod ipse non abnuit

a) Fabul. citat. v. 1. 2. b) Tabul. VII. L. IX. *Sei Membrom rupfst, nei cum eo pacit, Taliod estod*, apud IOAN. NICOL. FVNCIUM p. 321.
 c) FESTVS sub voce *Talio*. d) D. de Calumniatoribus l. 1. e) L. I. Fab. XVI. l. v. 2. f) Recept. Sentent. L. I. tit. 5. §. 1. g) D. de Verbor. S. l. 233. h) D. ad SCtum Turpillian. l. 1. §. 1. i) D. eod. l. 1. §. 2.
 k) L. I. Fab. I. l) Citat. Fab. v. 14. 15.



suit scribens, ^{m)} velle fateri se dignum vexationibus illis, si alius adulatoris personam sustineret, quam SETIANVS, neque hic sub aliorum persona testis simul esset atque iudex. Ita etiam PHAEDRVS, cui non erat mens singulos homines notare, verum vitam et mores hominum offendere, ⁿ⁾ memorat, se plura excogitasse atque delegisse quaedam ex his in calamitatem suam, ^{o)} quam ex ipso fabularum delectu poetae inimici sumerent calumniae materiam, quasi TIBERIVM, SETIANVM aliosque carpendi causa fabulas delegisset. Minime vero hisce calumniatoribus ad censendi sunt adulescentes illi, qui mulierem, cuius maritus filium per errorem se interfecisse intelligens, nulla mora interposita ferro incubuit, quod credulus strinxerat, postularunt Romanamque pertraxerunt ad Centumuiros, propter suspicionem, qua credebatur vxor id facinus commisisse, vt, marito filioque interemto, sola possideret bona et haereditatem. ^{p)} Poeta bene gnarus, vt vidimus, quis sit calumniatoris adpellatione notandus, scripsit, non calumniatores, sed adulescentes mulierem postulasse. Opponi quidem potest, Diuum AVGVSTVM sententia sua tenebras dispulisse calumniae. ^{q)} Ast tamen interpretes vocabulum calumniae pro mendacio, quo libertus dominum ad tantum facinus induxerat; vel pro frustratione et deceptione famam mulieris atque existimationem laedente, accipiendum esse monent. Deinde ex eo, quod adulescentes crimen mulie-

E 2

ris

^{m)} Procl. L. III. v. 41—43.ⁿ⁾ citat. loc. v. 49. 50.^{o)} loc. cit. v. 40.^{p)} L. I. l. Fab. X. v. 34—37.^{q)} Fab. cit. v. 42.



ris delatum non probauerant, non consequitur, eos statim factos fuisse calumniae reos. Non utique, ait MARCIANVS, qui non probat, *) quod intendit, protinus calumniari videtur; nam eius rei inquisitio arbitrio cognoscentis committitur, qui, reo absoluto, de adcusatoris incipit consilio quaerere, qua mente ductus ad adcusationem processerit: et si quidem iustum eius errorem repererit, absoluit eum; si vero in euidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam poenam irrogat. Dixit Poeta solemnī IurisConsultorum verbo adcusatores *postulasse* mulierem; minus recte, si *postulare* nihil aliud significet, quam desiderium suum vel amici apud eum, qui iurisdictioni praest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. †) Defendi tamen potest PHAEDRVS auctoritate IurisConsultorum, quibus postulare interdum est adcusare. ‡) Verbum porro *pertrahere*, quo Poeta hoc loco est vsus, iterum debere videtur IurisConsultis, uti censet IOANNES SCHEFFERVVS, §) ad Q. HORATIVM FLACCVM prouocans, ¶) qui agricolae mentionem iniicit datis vadibus rure extracti in urbem. Cui addi potest vetus consuetudo manus iniectione aduersarium trahendi in ius Lege XII. Tab. introducta. **) Cur vero adcusatores mulierem pertraxerint ad Centumuiros, cognoscere licet ex IOAN. GEORG. GRAEVII obseruatione

*) D. ad SCtum Turpillian. l. 1. §. 3. §) D. de Postulando l. 1. §. 2.

†) Cf. BARNAB. BRISSONIVS de Verbor. S. sub voce *postulare*.

‡) in notis ad PHAEDRVM. ¶) Sermon. L. I. Satyr. l. v. 11. x) Lex III. Tab. I. *Sei Calvitor pedemve struit, Manom endoiacitod*, apud FVNCIVM pag. 65. Cf. PORPHYRION ad HORATII Sermon. L. I. Satyr. 9.

tione constitutioni illius causae a PHAEDRO expositae adiecta,*) vi cuius libertus ideo damnatus fuit a Centumuiris, quia haec quaestio, tamquam quaestio ad haereditatem pertinens, apud Centumuiros acta est. Quo quidem exemplo corroboratur sententia CAROLI FRIDERICI ZEPERNICK²⁾ centumvirale iudicium statuentis de haereditate tantam habuisse auctoritatem, ut quaestiones siue ciuiles, siue criminales haereditatis occasione motae et tamquam incidentes necessario exponendae, in alio iudicio haud excutiendae, sed ab eo, ubi petitio haereditatis agebatur, licet alias esset iudicium incompetens, essent diuidi-
candae.

§. XVII.

Ad Titulum de Exceptionibus.

Reus olim actionem vel negando excipiebat, vel excipiendo elidebat. Exceptio petenda erat atque vna cum actione dabatur a Praetore. Huiusmodi exceptione defendebatur reus contra actionem iure constitutam per aequitatis rationem,^{a)} actorisque intentio reddebatur inefficax.^{b)} Reo id, quod actor peteret, inficiante sese debere, ab actore probandum erat, rem ita esse, vtj adfereret.^{c)} Negatio rei quamuis ab exceptione distincta fuerit Iure Romano, nihilo minus tamen eodem Iure quum is ipse, qui negat, excipere dicatur,^{d)} ac, quidquid a

E 3

reo

y) Praefat. Tom. II. Antiquitat. Romanar. 2) Cf. SIBRANDVS TERTARDVS SICCAMA de Iudicio Centumvirali ex editione C. FR. ZEPERNICK, Halae 1776. pag. 49. 51. 270. a) Institut. de Exceptionib. pr. D. de Exceptionib. l. 2. pr. b) D. de Reg. Iur. l. 112. c) D. de Probationib. l. 2. d) D. eod. l. 9. l. 18. §. 2.



re respondetur actori, exceptionis nomine comprehendi queat; spero, fore, ne a quopiam mihi vitio vertatur, quod vulpis, cui PHAEDRVS rei partes dedit peragendas, lupi actoris intentionem repellentis ^{e)} negationem exceptionibus adnumerem. Lupus furti arguebat vulpem, haec vero, furtum se aliquod fecisse, negando, lupi excipiebat actionem. Notionem, id est, potestatem cognoscendi de facto ^{f)} similius habebat tamquam iudex datus atque acceptus, coram quo uterque causam perorarent suam. ^{g)} Vulpis quum furtum negaret, lupum oportebat probare furtum ab illa commissum. Sequebantur probationem de probato aut non probato disceptationes, quibus, quantum satis esset, ab utraque parte proponebatur, atque adeo res ad finem, ad sententiam scilicet vsque perducebatur. Verbum *perorare* idem esse, ac rem ad finem perducere, testis est VLPPIANVS, ^{h)} a quo dicitur ad causam is, qui crimina obiecerit, causamque *perorari* vsque ad sententiam effecerit; itemque PAPINIANVS dicens, ⁱ⁾ *causam perorata*, sequi vel absolutionem, vel damnationem. *Causam perorare* veteres dixisse non solum de accusatoribus criminisue reis, sed etiam de omnibus, qui rem suam agebant coram iudice, A. GELLIVS ^{k)} docet referens, in XII. Tabulis scriptum fuisse: *Ante meridiem causam conscito, quam perorant ambo praesentes*. Quae XII. Tabularum verba IACOBVS GRONOVIVS ^{l)} ita interpretatus

e) L. I. Fab. X. v. 4. 5. f) Cf. IOAN. GÖDDEVS ad l. 99. D. de Verbor. S. g) L. I. Fab. X. v. 6. 7. h) D. de bonis libertor. l. 14. §. 8.
i) D. de Quaestionib. l. 6. pr. k) Noct. Atticar. L. XVII. Cap. 2.
l) in notis ad GELLIVM.

tus est: Praetor ante meridiem quum actor et reus perorassent, id est, causam dixissent, de causa cognoscito. Ex his XII. Tabularum verbis adparet, litigantium olim opus fuisse praesentia ad causam perorandam. Postea autem admittebantur cognitores litem praesente domino suscipientes, FESTO auctore,^{m)} vel, ut ASCONIVS PAEDIANVSⁿ⁾ scribit, praesentis causam vt suam tuentes. Sed rectius statuere putat IOAN. GOTTLIEB HEINECCIUS eos, qui ex FESTO colligunt, cognitorem semel a praesente litigatore datum postea et absentis causam persequi potuisse.^{o)} Vulpis tamen atque lupus ipsi calliditate astutiaeque sua freti causam suam perorasse videntur secundum XII. Tab. normam. Quum ex VLPIANI opinione adusatoris sit, efficere, vt causa peroretur vsque ad sententiam;^{p)} manifestum est, Poetam et ad hoc adusatorum, qui mulierem pertraxerant ad Centumviros, munus respexisse, quum adiceret, stetisse Patronos, fortiter causam tuentes innocentis foeminae.^{q)} Praeterea autem mulier innocentiae suae conscia quoniam negauerat, quod adusatores ei intendebant, crimen, atque probatio ab adusatoribus fuerat suscepta; ad hanc respondebant Patroni mulieris causam strenue defendentes, donec iudices ab AVGVSTO peterent, vt suam religionem subleuaret, atque ita adusatores Patronique causam perorabant. Neque id praetermisit PHAE-

DRVS,

^{m)} sub voce *cognitor*.

ⁿ⁾ in CICERONIS Orat. III. in Verr.

^{o)} Antiquit. Romanar. Iurispr. illustr. L. IV. X. §. 3. ^{p)} D. de bonis libertor. l. 14. §. 8. ^{q)} L. III. Fab. X. v. 37. 38.



DRVS, quod *steterint* mulieris defensores, quum caussarum Patronis a Praetore, vel ab alio iudice causam dicere iussis con-
furgendum esset;*) vnde Impp. VALENTINIANVS et VALENS:
nec putet, aiunt, caussidicorum quispiam, honori suo aliquid
esse detractum, quum ipse necessitatem elegerit *standi*, et con-
temserit ius *sedendi*.*)

§. XVIII.

Ad Titulum de Interdictis.

Interdicta quoniam olim erant formulae et conceptiones
verborum, quibus Praetor, non constituto iudicio, inter duos
pluresue de possessione aut quasi possessione litigantes, aliquid
fieri iubebat vel prohibebat, quoad de proprietate iudicaretur,**) ideoque ad possessionem pertinebant; a re alienum non esse pu-
to, ex PHAEDRI fabula de duobus Caluis *) repetere veterum
quorumdam de possessione a duobus quoad rem concurrentibus
adquirenda sententiam. Possessionem, quam IurisConsulti de-
finiunt per corporalis rei detentionem cum adfectione seu ani-
mo sibi habendi, solo animo adquiri non posse, PAVLVS **) au-
ctor est, atque IVSTINIANVS.**) Ab hac autem regula PHAE-
DRVS cum aliis paullo defectens, inuenisse caluum, fingit,
forte pectinem in triuio; alterum aeque depilatum adcessisse at-
que

*) Cf. CAROLI BRETII Ordo Perantiquus iudicior. civil. Cap. XXXIII.
**) Cod. de Postulando l. 6. §. 6. //) Institut. de Interdictis pr. §) L. V.
Fabul. VI. **) D. de acquir. vel amittend. possess. l. 8. D. de Reg. iur. l. 153.
**) Institut. de Interdict. §. 5.

3
/



que Eia, adclamasse, in commune conferas, quodcunque est
 lucri. w) Statuebant nempe quidam Veteres, possessionem ani-
 mo atque corpore adquiri, simul ac animus idoneo signo pro-
 deretur, cum eoque facultas rei occupandae adesset. Itaque, vt
 exemplo rem illustremus, quum ab vno caluo pecten inuenire-
 tur adprehensione, ab altero caluo adcedente tantummodo visu;
 existimabant illi, ambos in communionem incidere, nec eum,
 qui prior corpore in possessionem venerat, nisi adfectum prior
 quoque indicasset, alteri praeualere. x) Non ergo mirum est,
 quod is, qui pectinem prior adprehendens nihil de adfectione
 sua prodiderat, illico praedam alteri ostenderet simulque adii-
 ceret: superum voluntas nobis quidem fauit, sed fato minus
 fauente rem plane inutilem pro thesauro inuenimus. y) Eius-
 dem sententiae fuisse videtur TREBATIVS, cui placuisse CAIVS z)
 testatur, feram bestiam ita vulneratam, vt capi possit, statim
 nostram esse, et eo vsque nostram videri, donec eam perse-
 quamur; alium vero, qui per hoc tempus, quo eam persequimur,
 ceperit eo animo, vt ipse lucrifaceret, furtum videri nobis com-
 mississe. Qui enim feram bestiam vulneravit vulneratamque per-
 sequitur, is dici potest signo satis idoneo prodidisse animum feram
 bestiam sibi habendi. Facultas deinde feram bestiam occupandi
 propter vulnerationem parum abest. a) Ab eadem secta steterunt

NERA-

w) L. V. Fab. VI. v. 1. 2. 3. x) GERARD. NOODT Probabil. Iur. Ci-
 vit. L. II. Cap. VI. y) Fabul. citat. v. 4. 5. 6. z) D. de Res. Domin. ad-
 quir. l. 5. §. 1. a) IUSTINIANVS amplexus est sententiam eorum, qui
 F statue-





NERATIVVS ET PROCVLVS, secundum ea, quae memorat PAV-
 LVVS.^{b)} Si vero pectinis illius a caluo inuenti possessio cui addicen-
 da sit, quaerere mittimus, quid de acquirendo illius dominio sen-
 tiendum sit, indagantes; facile intelligemus, id nullum fuisse,
 nisi pecten fuerit res derelicta, id est, eo animo abiecta a domi-
 no, vt eam rerum suarum amplius esse nolit.^{c)} Alias enim rem
 inuentam non fieri inuentoris propriam, plus quam vna lege^{d)}
 probari potest. Quod autem ad Interdicta pertinet, speciem
 Interdicti restitutorii Fabula de apibus et fucis contineri, vix est,
 quod dubitemus. Apes iuxta PHAEDRI narrationem^{e)} in quer-
 cu fecerant fauos. Hos fuci, ignauum pecus, suos esse dice-
 bant. Apes contradicentes litem deducebant ad iudicium, cui
 praeerat vespa, quae hanc legem proponebat partibus: Aluos
 accipite, fuci, quos dicitis esse vestros, cerisque mel infundi-
 te, vt ex mellis sapore fauique forma adpareat auctor horum fa-
 uorum, de quibus nunc agitur. Fuci quum hanc recufauissent
 conditionem, quam apes e contrario adprobauerant, vespa iu-
 dex protulit sententiam: apertum est, quis non possit, aut quis
 fecerit; quare apibus restituo fructum suum.^{f)} Vespa autem,
 fauos

statuebant, seram bestiam nostram non esse, quam si eam ceperimus, In-
 stitut. de Diuisione Rer. §. 13.

b) D. de adquir. vel amittend. possess. l. 3. §. 3.

c) Institut. de Diuis. Rer. §. 47.

d) D. de Furtis l. 43. §. 4. 8. D. de Incend. Ruina Naufrag. l. 3. pr.

e) L. III. Fabul. XIII. f) L. III. Fab. XIII. v. 14. 15.

fauos se restituere apibus suos, ideo dicebat, quia ipsa: Alu-
uos, aiens, accipite interim, fuci, cerisque mel infundite, alu-
uorum possessionem fucis obtulerat, quam si hi acceperant,
apes ex aluorum suorum possessione quasi erant deiectae; vel
ideo, quia fuci iam ante litem ad iudicium deductam apes vi de-
iecerant, ita, vt apibus opus esset interdicto *unde vi*, per quod
fuci, qui deiecerant apes ex possessione aluorum atque fauo-
rum, cogentur his restituere eorundem possessionem.^{g)} Prae-
torem in Interdictis restitutoriis verbo solemnii: *Restituas*, usum
fuisse, liquet ex variis Iuris Romani legibus, quas ex instituto
collegit BARNABAS BRISSONIVS.^{h)}

§. XIX.

De Officio Iudicis.

Iudices in leges iurando promittere debebant, secundum
illarum praecepta se iudicatuos. Huius iurisiurandi formulae
verba initialia fuisse haec: *Ex animi sententia iuro*, conicere li-
cet ex eo, quod commemorat M. TVLLIVS CICEROⁱ⁾ de dili-
gentia maiorum, qui iurare ex animi sui sententia quemque vo-
luerint. Quare Imperatori IVSTINIANO^{k)} iusiurandum iudi-
cis

F 2

cis

g) Institut. de Interd. §. 6. D de Vi et Vi armata l. 1. §. 31.

h) De Formulis et solemnib. P. R. verbis L. V. 50.

i) Academic. Quaestio. L. IV. c. 47.

k) Cod. de Iudiciis l. 14. pr.



cis est res non noua neque insolita, sed antiquis legislatoribus placita. Cui enim non est cognitum, antiquos iudices non aliter iudicalem calculum accepisse, nisi prius sacramentum praestitissent: *Omnimodo sese cum veritate et legum obseruatione iudicium esse disposituros?* Centumuiros huiusmodi iusiurandum, quod dederant, quam sanctissime conseruatuos, PHAEDRVS refert, petiisse a Diuo AVGVSTO, vt succurreret ipsorum fidei, quam iurando promississent, ne per imprudentiam, de re summopere dubia male iudicarent.^{l)} Sic et Vespas iudicis munere fungens dicitur a PHAEDRO maxime cauisse, ne iureiurando adstricta iusiurandum temere imprudenterque negligeret, seu, vt ipsa Poetae verba adponam, ne religio peccaret imprudens sua.^{m)} Poeta denique iudicem, cuius nomen reticuit, implorans: decerne, inquit, quod *religio*, quod fides patitur, id est: sententiam, quam salua iurisiurandi religione, salua fide boni iudicis ferre potes.ⁿ⁾ Eodem sensu accipi quoque potest iudicis religio, cuius meminit POMPONIVS.^{o)} Ad maiestatem Iudicis pertinebat, quod ei ius esset *sedendi*, dum litigatores eorumque Patroni causam perorarent. Iudices *sedere* dicuntur a M. TVLLIO CICERONE,^{p)} *C. Plinio Caecilio Secundo*,^{q)} multisque aliis scriptoribus antiquis. Liquet exinde, cur apud PHAEDRVM
simius

l) L. III. Fab. X. v. 39 et seqq.




m) L. III. Fabul. XIII. v. 8.

n) L. IV. Epilog. v. 26.

o) D. Si vsufr. petatur, l. 2.

p) Orat. pro Rabirio Postum. Cap. 5.

q) L. VI. Epistol. 33.




 simius iudex lupum inter atque vulpem *federit.*¹⁾ Iudices dum partes audiebant perorantes, a litigatoribus producendi erant testes ad fidem constituendam, propterea quod quaestio facti, super quo litigabatur, cuiusque cognitio iudici competeat, ex gestis et probatis debebat diiudicari. Plurium autem testium opus erat testimonio. Numerum testium litigatoribus minime licebat definire pro arbitrio suo. Refertur enim apud VALE- RIVM PROBVM²⁾ scripta Edicti Praetorii particula, quae ita se habet: Quanti ea res erit, tantae pecuniae iudicium recuperatorium dabo; testibusque publice dumtaxat decem denunciandi potestatem faciam. Quod desumptum esse videtur CAROLO BRETO³⁾ ex lege *Mamilia*; cuius quintum caput ex eiusdem sententia tale erat: Inque eam rem is, qui hac lege iudicium dederit, testibus publice dumtaxat in res singulas decem denunciandi potestatem facito. Cui addi potest auctoritas VLPIANI, dicentis,⁴⁾ ubi numerus testium non adiicitur, etiam duos sufficere, pluralem enim eloquutionem duorum numero contentam esse. Quisquis itaque iudex *federit* Calumniatorem canem inter atque ouem, imperitiae vel iniustitiae adcusandus erit, quod in vnus testis testimonio adquiesceret; deinde, quod lu-

F 3

pum

1) L. I. Fab. X. v. 6.

2) De notis Romanor. interpret.

3) Ordin. Perantiqu. Iudicior. ciuil. Cap. XXXV.

4) D. de Testib. l. 12.



pum testem admitteret, ^{v)} antequam huius fidem mores atque grauitatem satis exploratam haberet. In testibus enim MODESTINVS ait, dignitas, fides, mores, grauitas examinanda est. ^{w)} PHAEDRVS procul dubio ostendere voluit illo exemplo mores iudicum, qui TIBERII temporibus pessimos homines contra innocentes produci paterentur. Iniquitatem vero iudicis istius haud obscure indicat Poeta dicens, ouem damnatam fuisse falso, quod lupus dixerat, testimonio. ^{x)} Testes, quorum dictis et testationibus fidem facere debebant litigatores iudici, citandos esse, docet VENULEIVS, ^{y)} ARCADIVS, ^{z)} itemque PHAEDRVS, ^{a)} lupum citatum adpellans testem. Causa vtrimque satis perorata, iudicis erat, pronunciare sententiam. Quod simium iudicem istum subtilissimum haud ignorasse, PHAEDRVS testatur. ^{b)} Lupus et vulpis causam quam perorassent suam, Poeta inquit, fertur simius dixisse sententiam. Ita vespa quoque, quam satis apertum esset, fucos fauorum, quos apes fecerant, esse non posse auctores, protulit sententiam, vti memoriae prodidit PHAEDRVS. ^{c)} Si iudices causam non satis perspexissent, dicere solebant, *sibi non liquere*, atque ita iudicandi necessitate liberabantur,

v) L. I. Fab. XVII. v. 4.

w) D. de Testibus. l. 2.

x) Fabul. citat. v. 6.

y) D. de testibus l. 20.

z) D. eod. l. 1. §. 2.

a) Fab. citat. v. 4.

b) L. I. Fab. X. v. 7. 8.

c) Lib. III. Fab. XIII. v. 13.

tur, teste A. GELLIO. ^{d)} Idem euenisse memorat PHAEDRVS ^{e)} Centumuiris, qui, caussa quoniam erat intricata, ita, vt sententiam dicendi nullam reperirent certam viam, a Diuo AVGVSTO petierunt, vt iudicandi necessitate sese liberaret, ac ipse sententia rem dirimeret sua. ^{iv} Vbi vero causam satis habebant cognitam atque perspectam, iudices solebant modestiae caussa in sententiis suis vocem adhibere: *ita videri*. Quam quidem modestiam praebere iudices tenebantur ex maiorum instituto, quo, vt M. TVLLIVS CICERO refert, iurati iudices, quae cognouissent, ea non esse facta, sed *videri* pronunciare tenebantur. ^{f)} Cui quidem mori maiorum inhaerebat apud PHAEDRVM ^{g)} simius iudex ingenio modestiaeque grauissimus, qui hanc dixit sententiam: Tu, lupe, non videris id perdidisse, quod petis; et tu, vulpecula, surripuisse id, quod surripuisse calidè negas.

Sed desinam vterius inquirere, quid PHAEDRVS Iuris-
scientiae debeat, idque potius agam, cuius caussa membra Iuris disiecta ex PHAEDRI carminibus colligere, PHAEDRVM-
que iterum ex legum Romanarum scientia illustrare adnifus sum.

Inui-

^{d)} Noct. Atticar. Lib. XIV. Cap. 2.


^{e)} Lib. III. Fabul. X. v. 39. 41.

^{f)} Academicar. Quaest. L. IV. Cap. 47.

^{g)} Lib. I. Fab. X. v. 9. 10.



Inuitandi enim mihi sunt viri Philofophiae aequae ac Artis Poe-
 ticae honoribus digni, vt ferant virtutis suae praemia in sole-
 mnibus *creandorum Philofophiae Doctorem et Liberalium Artium*
Magistrorum laurea aequae Poeticae distribuendae die xxx. Aprilis
 cIoIocclxxxviii. concelebrandis, Vitebergae, P. P. Die Do-
 minia. post Natiuit. Seruatoris Nostri A. R. S. cIoIocclxxxviii.



*) Hoff. Antiqu. Lib. XIV. Cap. 2.
 *) Lib. III. Tabul. X. v. 29. 11.
 *) Antiquar. Quaest. I. IV. Cap. 17.
 *) Lib. I. Tab. X. v. 2. 12.

Wittenberg, Diss., 1786-88


ULB Halle

004 335 899

3



f
Sl.



22
1788 5

ORDINIS PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA VITEBERGENSI
DECANVS
CAROLVS FERDINANDVS SCHMID

IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR MORAL. ET CIVILIVM
PROF. PVBL. ORDINARIVS

H. T.

COMES PALATINVS CAESAREVS
CONFERENDAE VTRIVSQVE LAVREAE
SOLEMNIA

A. D. XXX. APRILIS CIOIOCCCLXXXVIII

RITE PERAGENDA

PHILOSOPHIAE ET ARTIS POETICAE
CANDIDATIS

INDICIT

PRAEMISSA PROLVSIONE

DE

IVRISPRVDENTIA PHAEDRI

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII